

III.

Eccitamento a Milano a conservarsi in libertà

e offerta di lega. (Vedi p. 214).

(Secreta, p. 155 t.^o).

MCCCCXLVII Die XVII Augusti.

Ser Franciscus Barbadico procurator. — Ser Aluisius Storlato. — Ser Paulus Truno procurator. — Ser Federicus Contareno procurator. — Ser Marcus Foscari procurator.

Sapientes Consilii.

Ser Franciscus Giorgio. — Ser Filippus Foscari.

Sapientes terre firme.

Cum pro statu nostro faciat consideratis his que habentur de morte ducis Mediolani intelligere hanc materiam eamque adiuvare ut ex ea consequi valeat talis fructus qui afferrat quietem bonum et comodum hujus rei publice: vadit pars quod expediatur et mittatur subito circumspectus segretarius noster Bertucius Nigro cum hac comissione.

Bertuci, mandamus tibi quatenus ire debeas, quanto celertiter possibile tibi sit ad partes Lombardie et ad ea loca te diriges ex quibus videbis citius et habilius ire posse Mediolanum et si habebis verum esse quod fertur de morte ducis Mediolani per illam viam et modos quibus noveris cum maiori securitate ire posse, vadas Mediolanum et te conferes ad presentiam illius comunitatis cui porrectis literis credentialibus et factis illis salutationibus et oblationibus que tibi convenientes vicebuntur dicere et exponere debeas:

Quod singulariter semper fuimus illi civitati affecti et cunctos suos cives tanquam nostros proprios dileximus et nunquam fuit nostra intentio, sicut semper apertissime diximus, bellum ipsi civitati et territorio suo inferre, sed duci qui pacem nostram et totius Italie semper perturbare quesivit et optantes per experientiam nostram erga eos affectionem demonstrare hortamur et suademus ut postquam Altissimo placuit concedere eis hanc libertatem, velint ameno libertatis fructu et beneficio